



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Tit. VI. De Patroni & Titularis Sancti Festo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

verò in alios dies cadant, perinde ut Festa de præcepto transferantur.

IX. Secundò dubitari potest, *an Officia concessa ad libitum aliis Officiis de præcepto cedant?* ad quod dubium affirmativè respondent Gavantus f. 3. c. 10. n. 16. & Arnaudus tit. 10. & colligitur ex Decreto S. Congregationis supra ex P. Gobat citato, quod decernit, ut si Festum de præcepto, & Festum ad libitum simul transferantur, prius de illo, quàm de hoc officium postea dicatur.

X. Tertiò dubitari potest, *an Festa ad libitum etiam inter dies impeditos censeri debeant?* v. g. an si Feriâ secundâ cadat Festum ad libitum, Dominicâ verò præcedente privilegiata duplex aliquod transferendum occurrerit, in tali caso Festum ad libitum cedere, atque adeò in alium diem transferri debeat? R. cum P. Gobat append. 6. n. 38. Festa ejusmodi ad libitum meritò etiam inter dies impeditos censeri, eò quòd ex una parte gratiæ ampliandæ sint; ex altera verò parte jus celebrandi tale Festum ad libitum verè etiam gratiæ sit, adeoque à quovis acceptari & usurpari queat. Atque in plurimas Diœceses in praxi observasse idem Author testatur.

TITULUS VI.

DE PATRONI ET TITULARIS SANCTI FESTO.

I. **P**atronus est, quem Episcopus cum Populo sibi Patronum elegit, vel quia primus ejus loci Episcopus, vel quia ibi humatus; vel quia civis ejusdem loci; vel quia aliter quando populum in necessitatibus mirabiliter juvit, vel aliis similes causas. Titularis autem Ecclesiæ dicitur, si cujus invocatione dedicata est Ecclesia.

II. Ut legitima sit Patroni electio, sequentes tres conditiones sunt necessariæ. 1. Ut eligendus in Patronum non tantùm sit Beatificatus, sed Sanctus ab universa Ecclesia cognitus. 2. Ut electio fiat per Secreta suffragia à Populo mediante Concilio generali illius Civitatis, vel loci; & consensus Episcopi & Cleri etiam jungatur. 3. Ut causa electionis à S. Congregatione examinata & approbata sit. Ita Decretum Urbani VIII, 23. Mart. 1630.

III. De

III. Dantur etiam plures Patroni Loci, sed unus eorum debet esse Principalis. Titulus autem Ecclesie unius materialis solet esse unicus, licet possit esse plurium Sanctorum sub pluribus Festis, vel plurium sub eodem.

IV. Si Patroni vel Titulares plures dentur, Officium quidem singulorum Duplex erit, sed Octava non conceditur, nisi Festo Principalis Patroni & Titularis, utpote quod solum celebratur sub ritu Duplicis primæ Classis. Unde etiam de hoc solo tenentur Regulares Officium dicere, licet laudabile sit, si etiam quoad Patronos minus principales se accommodent.

V. Quæ hæcenus dicta sunt de Patrono magis principali Loci, eadem etiam Fundatori & Patrono Ordinis in toto Ordine post solemnem Canonizationem ejusdem conveniunt, excepto quod non prohibitum videatur Regularibus plures Patronos sub ritu Duplici primæ vel secundæ Classis, & cum Octava celebrare.

VI. Titulus Altaris vel Capellæ celebrandus est, prout in Calendario Romano describitur, in quo si neque nominatur, dici poterunt ad illud Altare Missæ Festivæ cum Hymno Angelico, & tribus Orationibus. Officium tamen nullatenus de eo dicendum est sine Majorum licentia, ad quos pertinet ritum mutare.

VII. In Vigilia Patroni, quæ habet Officium in Calendario, erit eâ die omittenda Commemoratio de Patrono, quæ solet fieri inter suffragia. Arnaud. tit. 12.

P A R S II.

**DE IPSA PRAXI OFFICII
DIVINI RECITANDI.**

TITULUS I.

**QUOMODO MATUTINUM RECI-
TANDUM SIT.**

Instr. II.

B

§. I. De